

Q. N. 156.

29

DISSERTATIO

DE X 107 5059

Ve

3045

# VICARIIS IMPERII

*Quam*

TEMPORE VICARIATUS  
SERENISSIMI, POTENTISSIMI PRIN-  
CIPIS AC DOMINI, DOMINI

## JOHANNIS GEORGII SECUNDI,

DUCIS SAXON. JUL. CLIV. & MONT. &c.

SVFFRAGIO NOBILISSIMÆ ICTORYM FACVLTATIS  
IN ELECTORALI LEVCOREA  
PRÆSIDE

VIRO

*Nobilissimo, Excellentissimo,*

### DN. GOTTFRIDO SVEVO, JCTO,

& Antecessore hujus Academiae celeberrimo, Curiae Ele-  
ctoralis, Facultat. Jurid. Scabinatus, Consistorij Ec-  
clesiastici, & Dicasterii inferioris Lusatiae Ad-  
fessore eminentissimo,

Patrono suo ac Præceptore

Opt. Max.

*privatim elaborandam, & publicè defendendam suscepit*

Die Jun.

REICHARDUS CHEWALD / Dresdensis.

VVITTEBERGÆ

Typis exscripsit JOH. HAKE, Anno M DC LVII.



*Handwritten notes and signatures in the bottom right corner.*

*Handwritten mark at the bottom center.*











I. N. J.

REICHARDI Chetwalds

DE

VICARIIS IMPERII

DISSERTATIO.

I.



Lurimi mortalium ambitio-  
ne laborant, & nolunt nisi cum li-  
ctoribus ire, ut olim Cato dixisse fertur.  
Adeo præceptus est ingenium humanum  
ad dominationem, *Hug. Grot. de antiq.  
Reip. Batav.* ut vel unus aliquis sibi ausus  
fuerit mundi imperium exoptare, opini-  
one mundorum plurium imbutus ab A-  
naxarcho, *Plutarch. lib. de tranquill. anim.* Alexandrum M. in-  
telligo, cui Scytharum Legati nimiam illam regnandi cupidi-  
nem exprobrabant: *Si Dii habitum corporis tui aviditati animi  
parem esse voluissent, orbis te non caperet. Alterâ manu Orientem,  
alterâ Occidentem contingeres, Curt. lib. VII.* Jason ventriculum  
inane querebatur, quod non imperaret, *Aristot. III. Polit. IV.*  
A Svetonio accepimus, Ottonem, octavum Imperatorem, tan-  
tâ regni cupiditate flagrasse, ut non dissimulârit, se nisi Princi-  
pem stare aut vivere posse, nihilquæ referre, ab hoste in acie, an  
in foro sub Creditoribus caderet. Inane & noxium votum!  
Nec corporis mala levat imperium, nec animum perficit. De-  
inde ut vitia non minuit, ita nec curas & miseriam, quam poti-  
us exaggerat. Franciscus Petrarca: *Totam illam Tyrannorum,  
simul & Principum Roman. seriem percunctare, uno tibi ore omnes  
responsum dabunt, eodem se calle ad ruinam atque imperium ascendisse,  
ubi omnes periculum & laborem, multi miserabilem vitæ exitum inve-  
nere, Lib. 1. de R. U. F. dial. XCVI.* Illam livoris & periculi for-

Homo præ-  
ceptus est ad  
dominati-  
onem.

A 2

tem.





tem non evasit proximis annis Carolus I. Rex Magnæ Britan-  
niæ. Verfatur in manibus nostris defensio Regia pro eo ad Fi-  
lium Carol. II. Cl. Salmasii, quam impugnavit Joh. Miltonus,  
Anglus, vivis coloribus depictus ab Excellentiss. D. Casp.  
Zieglero in Præfatione ad Lectorem, quam præmisit exercita-  
tionibus suis circa Regicidium Anglorum. Scilicet regnum  
nolebant parricidæ, nisi suum esset, Reges abominabantur, nisi  
ipsi essent. Has & alias miseras si in animum revocarent mor-  
tales, haud toties uno de solio duo litigarent, sed plura essent  
regna, quam reges. At Monarchiæ Candidati his neutiquam  
terrentur, quibus non tam jucundum est multos post se, quam  
grave aliquem ante se videre. Rationem ex Guicciardino de-  
prompsit Caspar Ens in nucleo suo historico-politico part. I.  
*Illud nimirum boni, quod in ejusmodi hono-ibus est, primâ statim  
fronte se ostendit, at quod inest mali, occultum latet, nec facile nisi  
ipso tractatu deprehenditur.*

*Inconsul-  
tum illum  
affectum  
reprimat  
electio, &  
successio.*

II. Cum itaq; multi (utar verbis J. Lipsii II. Polit. IV.) Prin-  
cipatum appetant, nec boni ipsi, nec bono fine, repressit eos mos sive lex  
Gentium repagulo duplici, **ELECTIONIS, & SUCCESSIONIS.**  
Ultra autem emineat, Politici disputant. Lipsius electionem  
quidem antiquiorē, successionē tamē receptiorē, & aspectu a-  
liquo meliorem judicat. Alij displicebit successio, quod for-  
tuita sit & cæca, ut sæpe indignos inveniat. Subjicere quidem  
possem plura argumenta, partim in amorem electionis, par-  
tim in favorem successionis, sed ea peti possunt ex Augusto  
Cyriaci Lentuli. Facitus masculè pro electione pugnat *Lib. I.  
histor.* quem sequi lubet. Certius enim ex electione, quam suc-  
cessionē bonum sperabis Principem, nec fallitur probè insti-  
tuta electio, aut prava fit, nisi per accidens.

*In Germa-  
nia electio  
prevaluit,  
quam & li-  
bertas e-  
jusdem, &  
Vicariorū  
autoritas  
tutā præ-  
stant.*

III. Cæterum à moribus patriis non erit resiliendum teme-  
re, nec cæcâ quadam novitatis cupiditate à successionē descen-  
dendum, ubi illa invaluit. Germani sanè à tot annis electionis  
fuere studiosi, ut eam perpetuam fore ominemur. At summo  
discrimine quæritur Princeps, cum uno mortuo spes multo-  
rum pravæ cohiberi nequeant. Libertas electionis, tum & Vi-  
cariorum Imperij nostri autoritas huic malo facilè medentur.

IV. Ele-



IV. Electionis materiam impræsentiarum meam non facio, sed Vicariatus, ut temporis rationem habere videar, quo Serenissimus, Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus JOH. GEORGIUS II. Vicarius Imperij salutatur, postquam vix exceperat PATRIS GLORIOSISS. imperium, bis eâ dignitate summâ laudè functi. Is enim anno M DC XII. mense Febr. post mortem Rudolphi II. qui die X. ejusdem mensis exspiraverat, primò Vicarius Imperii nuncupari & agnosci meruit. Anno M DC XIX. secundâ vice Joh. Georgius I. imperio præfuit nomine Vicarij, post obitum Matthiæ, Elector incomparabilis.

*De hæc præfens cõcepta est dissertatio.*

V. Ego autem de Vicariis Imperii acturus tribus capitibus integram absolvam materiam, quoniam sint Vicarii, (ubi simul de tempore, & loco regiminis differendi tempus erit) quâ potestate emineant, & quando potestas eorum desinat. Primum quod attinet, inter omnes constat, Pontificem Rom. ex mera arrogantia jus Vicariatus suum facere, *cap. un. ne sede vacante aliquid innovetur in extrav. Joh. XXII. Buxtorf. Dissert. ad A. B. th. LVI. D. Carpzov. Diss. IV. Feud. quest. I. semidec. Jur. Publ.* Verum eam impudentiam dicam an imprudentiam eo minus admiror, quod sese vicarium ipsius Dei ingerere conetur, in tribus metaphoris primatum suum fundans, PETRÆ, CLAVIUM, & PASCERE, *Dannhaw. in Idea boni Interp. part. 1. sect. III. art. VII. §. LXXXI.* Duos Imperii Vicarios meritò veneramus, BAVARUM, & SAXONEM, ut ita mortuo Imp. ex singulari imperio duplex fiat. Si enim (quod accidere posset) uni tanta concederetur potestas, eam fortean restituere, quis detrectaret, *Jacob Zevencot. Obs. Polit. ad Flor. lib. I. c. IX.* Sed hæc ratio latè petita binarium Vicariorum numerum non fati asstruit. Proxima est, quam suggerit diversitas juris in regno Teutonico quondam observata. Olim apud Spartanos Reges fuisse duos Aristoteles nos docet *V. Pol. XI.* quo pacto summa quidem penes utrumquæ, minor penes singulos fuit potestas, verba sunt *Zevencot. obser. Polit. ad Flor. lib. I. cap. IX.* Conferri velim *Cl. Salmas. defens. Reg. pro Carolo I.* ubi improprietas cujusdam insinulat *Cornel. Nepotem, quod in vita Han-*

*Duo Vicarij Imperij Bavarus, & Saxo.*



nibalis Cart'agine quotannis binos Reges creatos fuisse me-  
 moret, quos ille Sufetes, i. e. Judices appellat. *Ne Reges* (in-  
 quit) *essent duabus his rebus efficiebatur, & quod annui, & quod*  
*bini.* Sed & Romanis binarius olim Consulium numerus in u-  
 su fuit, pulsus ex Urbe Regibus, quorum potestas anno termi-  
 nabatur, ne solitudine, vel morâ corrumperetur, *Flor. lib. I.*  
*rer. Rom. c. IX.* Maxima enim libertatis custodia est, si magna  
 imperia diuturna non sint, & temporis modus imponatur,  
 quibus juris imponi non potest, *Zevécot. Obs. Polit. ad Sveton.*  
*Cæsar. c. XXIV. Add. Perez. prælect. in Cod. de dignit. num. X. Bo-*  
*din. IV. de Rep. IV.* Quicquid autem de binario imperantium  
 numero huc usq; dixi, id omne insigni limitatione illustrat  
 Nicol. Mylerus *in addition. ad Diss. II. Martin. Rümelin. in A. B.*  
*part. III. th. XVII.* Eveniente casu (inquit) quo imperium sum-  
 mum ex ratione Status inter plures dividendum erit, longè præstan-  
 tius est ad diuturnam regni Pacem, triarchiam, quam diarchiam in-  
 stituere. Potentia enim inter paucos perfectius constitui nequit, quã  
 in numero trinario, quo casu semper major pars tertii conatus in-  
 quietos potenter cohibere potest. Et paulo post: *Trinarius nume-*  
*rus conservat, binarius ad destructionem pronus est.* Ut ut itaque in  
 Politicis negotiis majorem fortè imperantium numerum,  
 non reprehendam, in bello certè is omnino damnandus est,  
 ut imperii militaris summa meritò uni committatur, *Lips. V.*  
*Pol XIV. Machiavell. III. de Rep. XV.* Audet alicubi affirmare  
 Sleidanus, nihil magis obfuisse cum Carolo V. pugnantis  
 Germanis, quàm quod belli consilia inter Saxonem & Hes-  
 sum dissentientes plerumq; fuerint divisa.

*Descriptio  
 Vicariorũ  
 Imperij.*

VI. Hæc de numero Vicariorum Imperii monenda duxi.  
 Sequitur eorum descriptio, cum ratio nominis latere possit  
 neminem, explicata à *Wesemb. Comm. in Cod. de offic. Vicar. n. I.*  
 & *Dan. Otton. de Jur. Publ. c. XVI.* Sunt autem VICARII IMPERII  
 [ex mente Ottonis *d. loc.* quem sequitur Mylerus *in addit. ad*  
*dissert. IV. Rümel. in A. B. part. 1. th. X.*] PROVISORES, QUI VA-  
 CANTE IMPERIO VICEM IMPERATORIS SUSTINENT, ET IN EIUS  
 LOCUM SUCCEDUNT. Genus petitum est ex *A. B. cap. V.* Ultima  
 autem verba supervacanea æstimo. Dixi, vacante Imperio  
 munus



munus hoc demandatum esse Electoribus, quod expressè sancit Divus Carolus IV. *dict. loc.* ubi in frontispicio occurrit verbum *QVOTIES*, quod tractum successivum, iteratum, & perpetuum notat, *Buxtorf. disert. ad A. B. th. LIV. lit. A.* At variis modis vacare contingit imperium, morte nimirum, vel etiam absentia Imp. ne plura dicam. Utroq; profecto casu Vicariorum erit, curam Imperii sustinere, ne nutet Resp. sine Rectore. Cæterum quin Imp. peregre iturus alii cuidam vices suas commendare possit non dubito, *Arum. Discurs. III. ad A. B. th. XXXI.* prævio tamen Electorum consensu, quod Carolus V. fecisse memoratur, cum Fratrem Ferdinandum Imperii Vicarium constituere anhelaret. Imo datis reversalibus cavit tunc temporis Palatino, & Saxoni, nullum hinc juri Vicariatus ipsis competenti præjudicium illatum iri, *Rümel. diss. IV. ad A. B. part. I. th. XII. Dan. Otto dissert. de Jur. Publ. cap. XVI. D. Carpz. disp. IV. Feud. semidecad. quest. Jur. Publ. I.* Nec novum hoc est & insolitum vicariam operam impendi, quoties rebus nostris superesse prohibemur. Ipsi Electores Vicarios agnoscunt in Curiis solennibus, *Arum. disc. VI. ad A. B. th. XLIII.* Ita moribus receptum esse notat Cunr. Rittershus. *part. I. Jur. Justin. c. VII. n. XCII.* ut Episcopus suum habeat vicarium, per quem nonnulla sui muneris expediat. Et ne hoc mirum alicui videatur, sciat etiam in Populo sacro Pontificem habuisse Vicarium, qui quotannis creabatur sub diem jejunii, ut ex Maimonide Petr. Cunæus probat *lib. II. de Rep. Hebræor. c. VI.* De Professoribus Academiæ quarrit Gailius *I. obs. XCVII. n. IV.* an munia sua alteri committere possint, qui legendo & disputando labores alienos strenuè urgeat? Negat id, quod actus regulariter per alterum explicari nequeat, in quo industria personæ electa fuit, *arg. L. xxxi. D. de solut. L. un. §. ix. ibi: Sin verò talis. C. de caduc. tollend.* Excipi tamē casus aliquot nō diffitetur idē. Quid n. si usq; aliud approbaverit? Quid si substitutus parē eruditionis laudem mereatur? Quid si infirmitas Professore impediatur? Prorsus nihil abest, quin eo rerum statu regulæ detrahatur. Præterea non tantum  
mortuo,



mortuo, aut absente Imp. vacare imperium comperimur, sed & cum sceptrum ab eo volente deponuntur. Existimant quidem nonnulli, Imperatorem susceptam semel provinciã deserere non posse, teste Matth. Steph. *lib. I. de Jurisd. c. XV. n. xxii.* sed illi præfiscine exemplis ad nauseam refutantur. Nonne Diocletianus imperio se abdicavit? Nonne Lotharius monasterium ingressus est? Diocletianum quod attinet, ejus resignationem Eusebius *lib. 11 x. histor. Eccles. cap. xxvi. & xxix.* modò diuturnæ corporis ægrotationi, modò animi ægitudine ascripsit. Petrarcha *Lib. II. de R. U. F. dial. VII.* exinde causam dimissi à Diocletiano imperii colligit, quod nihil difficilius esse quàm bene imperare judicaret. Alii illum commotum putant rerum humanarum vicissitudine. Mihi quidem fit verisimile, quod cum præter spem conceptam Christianos eò altiores radices agere & propagari videret, quò magis exciderentur, mœrore sit confectus, ut deponeret imperium. Plura desideranti commendo Benbellonam *Comm. de Pac. Relig. part. II. c. I.* Raro huic exemplo Carolum V. ascripserim, quanquã in hoc aliam abdicandi imperio causam quis suspicari possit meritò. Videbatur enim rationem gesti imperij longè ante obitum subducere, ob Zelum pietatis vanitatum mundi pertractus. In novissimis hodie est Sveciæ Regina, quæ se novo exemplo regno addicavit. Sceptrum autem & moderamen rerum cepit Carolus-Gustavus, jam ante successor denominatus, cui Scipionis fortitudinem, benivolentiam Pompeji, & Cæsaris fortunam, eamque perennem, Deus largiri dignetur. Cum itaque Imperator licitè regni folio descendat, ad privatæ vitæ requiem ascensurus, dubium non est, quin illo casu Vicariorum se exserat imperium, *Just. Sinolt cognomento Schütz de Vicar. Imp. th. VII.* Quid si Imperator ob legitimas causas majestate exutus fuerit? Decisione eadem utar. Exempla Imperatorum exautoratorum pete ex Hippolitho à Lapid. *de ration. Statg part. I. c. III. sect. II.* Exautoratio autem illa toti Collegio Electorali competit, *Schütz d. loc. §. IIX. Thom. Michaël de Jurisd. concl. CXXXI. Schönborn. V. Polit. c. XXXII.* nequicquam repugnante cap. V. A. B. ubi quod tribuitur Palatino, hodie Bavari dignita-



gnitatem evehit. Miror itaq; insolentiam Pontificum, qui sibi jus illud removendi Imperatores asserere non sunt veriti, *cap. II. de sentent & re judic. in VI. cap. xxxiv. extr. de elect.* forte- au quod translationis Imp. Rom. ad Germanos autores esse velint. At hanc imposturam à Marsilio Patavino, Rudolpho de Columna, Jordano, Michaële Coccinio, Philippo Gundelio, Matth. Flac. Illyrico, Matthæo Dressero, Francisco Junio jam dudum solidè refutatam novimus.

VII. Huc usq; de tempore agendum fuit, quo Vicariorum Imperii regimen floret, seq; attollit. Modum regiminis infra exponam, modò plenius constiterit cum de personis regentiũ, tum de limitibus regiminis. De singulis in specie differendi campus aperitur. Præmitto BAVARUM, quamvis non negem tenore A. B. tit. V. Palatino eum honorem deferri, vel, ut rectius dicam, confirmari, cum jam ante Auream Bullam jus Vicariatus obtinuerit, *Arum. discurs. III. ad A. B. th. XXV. And. Kni- chen. de Sax. non provocand. jur. c. 1. n. CXXI. Buxtorf. dissert. ad A. B. th. LVI.* & quidem, ut nonnullis visum fuit, ratione Ducatus Bavarix, *Buxtorf. ibid.* quorum tamen sententiam in medio relinquo. Hodie sanè idem asserere vix patitur instrumentum Pacis Osnabrugense. cujus verba *art. IV.* sunt ista: *Et primò quidem quod attinet Domum Bavaricam, dignitas Electoralis, quam Electores Palatini antehac habuerunt, cum omnibus regaliis, officiis, præcedentiis insigniis, & juribus quibuscunq; ad hanc dignitatem spectantibus, nullo prorsus excepto, ut & Palatinatus superior totus unà cum Comitatu Cham, cum omnibus eorum appertinentiis, regaliis, ac juribus, sicut hæctenus, ita & imposterum maneant penes Dominum Maximilianum, Comitem Palatinum Rheni, Bavarix Ducem, ejusq; Liberos, totamq; Lineam Guilhelmianam, quamdiu masculi ex ea superstites fuerint. Et paulo post: Quod ad Domum Palatinam attinet, Imperator cum Imperio publicæ tranquillitatis causâ consentit, ut vigore præsentis conventionis institutus sit Electoratus octavus, quo Dominus Carolus Ludovicus, Comes Palatinus Rheni, ejusq; heredes & agnati totius Lineæ Rudolphinæ juxta ordinem succedendi in Aurea Bulla expressum deinceps fruantur. Nihil tamen juris præter simultaneam investituram ipsi Dn. Carolo-Ludovico, aut ejus successoribus*

*Tractatio  
Specialis de  
Bavaro.*

B

ad



ad ea, quæ cum dignitate Electorali Domino Electori Bavariæ, totiq; Lineæ Guilhelmianæ attributa sunt, competat. Profectò cui omnia jura, nullo excepto, conferuntur, quæ quondam Palatinorum erant, is Vicariatus jure dubio procul omni eminebit. Contra cui nihil juris tribuitur, præter votum eligendi Imp. & simultaneam investituram, nullo jure Vicarius Imperij agnosci poterit. Exceptio enim firmare solet regulam in casibus non exceptis. Porro ita sequitur in Instrumento Pacis: *Quod si verò contigerit Lineam Guilhelmianam masculinam prorsus deficere, superstite Palatina, non modò Palatinatus superior sed etiam dignitas Electoralis, quæ penes Bavariæ Duces fuit, ad eosdem superstites Palatinos, interim simultaneâ investiturâ gavisuros, redeat, octavo tunc Electoratu prorsus expungendo.* Ulteriorem ipsius quæstionis hodiè agitatæ decisionem Imperio relinquimus. Nostrum enim non est inter Viros principes ex Cathedrâ sententiam dicere, nisi quæ libertas Academica permittit. Cæterum pendente conditione modò recitata ultimum inter Electores locum tenet Palatinus, ut ex Concluso Electoralis Collegij, sessionem & prærogativam concernente, apparet, quod anno M DC LIV. typis commendatum fuit.

*Limites  
regiminis  
Bavarici.*

IX. Postquam jus Bavari asserui, limites regiminis exponendi erunt, qui terminantur partibus Rheni, ac Sæviæ, & locis, in quibus Jus Francicum observatur, *tit. V. A. B.* Romanorum quippe Imperium illo tempore in duo regna divisum erat, Lombardicum, & Teutonicum. Hoc partim Saxonico, partim Francico jure utebatur. Inde duo placuere Vicarii. Lombardicum regnum peculiare, eosq; varios agnoscebat Vicarios, quorum meminere Aram. *discurs. III. ad A. B. th. XXVI.* Joach. Cluten. *Syllog. rer. quotidian. concl. s. XXIV. lit. L.* Verum quoniam cuilibet Vicario certi sunt præscripti limites exercendæ potestatis, quid de aliis Provinciis neutri eorum assignatis pronuntiaveris? Sanè quin totum Imperium limitibus & locis expressis complecti voluerit Imp. dubium mihi fieri nequit. Rationes pete ex dissert. Buxtorfii ad *A. B. th. LII X. in exeg.*

*Tractatio*

IX, Bavarum Saxo noster excipit, cui jus præsens respectu  
ca-



cujusdam Palatinatus competere volunt, als einem Pfalzgrā *Specialis de*  
*fen/ Myler. in addit. ad disert. IV. Rümel. in A. B. part. I. th. XI. Saxone.*  
Palatinatus autem ille in Saxonia, & Westphalia, non in Mis-  
nia constitutus reperitur, quod evincit Sigismundi investitu-  
ra de anno 1414. Darinnen Er Herrn Erich/Herzogen zu Sach-  
sen/ Engern und Westphalen zu Lehen geliehen hat das Land zu  
Sachsen/und die Pfalzgraffschafft Sachsen und Westphalen / *Be-*  
*fold. in thesaur. Practic. verb. Vicariu des Reichs.* Illud opportu-  
nè quæritur: An Elector Saxonie ante Auream Bullam Vica-  
rius Imperii extiterit? Nego hoc per textum ejus Bullæ cap.  
V: *Eodem jure provisionis Illustrem Ducem Saxonie, Sacri Imperii*  
*Archimareschallum, frui volumus in illis locis ubi Saxonica jura ser-*  
*vantur. Ad Arum. disc. III. ad A. B. th. XXV. circa fin. Buxtorf.*  
*dissert. ad A. B. th. LVI.*

X. Ex textu modò recitato limites Vicariatus Saxonici nul-  
li non constare certus sum. Verum non proletarium inde e-  
mergit dubium, an eosdem adhuc hodie Vicariatus hujus  
terminos agnoscere teneamur? Dubitabit aliquis, cum jura  
Saxonica extra Saxoniam passim fileant, *Arum. discurs. III. ad*  
*A. B. th. xxxix.* Sed omnis dubitandi ansa facilis remotu est,  
si res ex origine potius, quàm eventu æstimetur. Juris ista  
mutatio (quæ sæpe utilis, imo necessaria est, *D. Rainking. de R.*  
*S. & E. lib. II. cl. II. c. V.*) non nisi ex accidenti contigit. At ac-  
cidentia rei substantiam non tollunt. Jus itaq; Saxonicum  
non causâ privilegii, sed demonstrationis gratiâ in A. B. adje-  
cisse videtur Carolus I v. *Arum. dict. loc. th. xxxix. Myler. in ad-*  
*dit. ad disert. IV. Rümelin. in A. B. part. I. th. XIV. Add. Buxtorf.*  
*dissert. ad A. B. th. LVII. in exeg.* ut meritò Potentiss. Saxo-  
nie Elector tali hodie titulo dignitatem suam exprimat: *Des*  
*Heil. Römischen Reichs Erzmarschall und Churfürst / auch des*  
*selben Reichs in den Landen des Sächsischen Rechtens / und an en-*  
*den in solch Vicariat gehörende dieser Zeit Vicarius.* Adeo nihil  
obstat Saxoni, quod recepta sint passim Jura Civilia, quo mi-  
nus Jurisdictionem suam diffundat Vicariatus tempore. Illud  
potius in laudem Juris nostri Justinianei vergit, quod non  
tantum in Germania, sed & per totum pene Christianum Or-

*Limites*  
*Saxonis.*



bem observetur. Imo & Turcæ suâ lingvâ Codicem Justiniani  
 colunt, eoq; in judiciis utuntur, *Treutl. Vol. I. Diss. I. th. V. lit. A.*  
*Add. Matth. Steph. proœm. in Nov. Justin. n. LXIV. LXV. Parthenium*  
*Litigiosum Ventura de Valentis Lib. II. c. v. n. XIII.* Hinc Romanum  
 Jus inter ceteros vocatur etiam commune, *Donell I. Comm. c.*  
*XVI. ratione optimâ.* Cum enim ex naturali & gentium jure  
 sit collectum *L. I. §. II. de J. & J. §. ult. Inst. eod.* omnes qui ju-  
 re naturali & gentium se teneri asserunt, juris etiam Rom. no-  
 titiam sibi consulere eo ipso fatentur, *D. Reinking. de R. S. & E.*  
*Lib. II. cl. n. c. V. n. LXV. LXVI.* Inde tamē nō inferas, hujusmodi  
 Populos jus Civile agnoscentes Imperio subesse. Hodie jure  
 Feudali utimur, quod maxima ex parte ad Longobardos ori-  
 ginem suam refert, teste Excellentiss. Domino Præfide *Exer-*  
*cit. Feudal. I. assert. I.* nemo tamen Romanos Longobardis sub-  
 jectos esse dixerit, *Matth. Steph. d. loc. n. LXVI.* Ita spontaneo  
 Procerum consensu receptum est Jus Canonicum, *D. Reink. de*  
*R. S. & E. lib. II. class. II. c. VII. n. V.* quæ communitio non arguit sub-  
 jectionem, *arg. L. II. §. IV. D. de O. J.* Sed & Poloni, Silesii, &  
 cæteri, quorum meminit *Treutler. Vol. I. D. I. th. X. literâ A.* Jure  
 Sax. utuntur, non coactè, sed libere, quatenus illud appro-  
 bârunt. Unde prorsus nihil abest, quin Constitutiones Ele-  
 ctorales Saxonicae extra Electoratum quoq; in decidendis cō-  
 troversis allegari possint, ne dicam mereantur, *Finckelth.*  
*obs. I.*

Vicarii  
 Imperii  
 exercent  
 judicia.

XI. Progredior ad potestatem & jura Vicariorum Imperii,  
 inter quæ EXERCITIUM JUDICIORUM facile eminent, *A. B. cap. V.*  
 Camerae nimirum Imperialis, & Aulae Cæsareæ, *Just. Sinolt*  
*de Vicar. Imp. th. X. Buxtorf. d. assert. ad A. B. th. LIX.* Nam & hoc  
 Imperii judicium rectè appellatur, quod Elector Moguntinus,  
 ut Imperii Archicancellarius, toti Imperio juramento obstrin-  
 git, *Thom. Mich. de Jurisd. th. xxxix. lit. A.* Sed & rectè Ca-  
 merâ præteritâ Vicarios compellari Arumæus statuit *discurs.*  
*111. ad A. B. th. xxxii.* quod concurrentem Jurisdictionem ex-  
 emplo Imp. (*Vid. Wurmser. Exerc. VII. Jur. Publ. qu. XXV.*)  
 cum Camera habere censeantur, cujus jura defuncto Imp. non  
 evanescunt, cum quod ordinariâ Jurisdictione freta sit, tum  
 quod



quod etiam à Statibus Imperii originem derivet, *Gail. I. Obs. XLI. n. IV. Sprenger. in Synops. Jur. Publ. de moderno Imperio Romano-German. cap. xi. fere circa fin.* Causâ tamen in Camera pendente neutiqum avocandi licentiam habent Vicarii, quâ & Imperatori denegatam esse ex Ordinatione Camerae accepimus part. II. tit. xxxv. *Das dem Cammergericht sein stat-cker lauff gelassen werden soll* *Gail. I. obs. XLI. n. III. IV.* At nonne-  
mo erit, qui dubitaverit, an autoritate utriusq; Vicarii judi-  
cium Camerae exerceatur? Ita tandem obtinuisse testis est  
Buxtorfius *dissert. ad A. B. th. LX* postquam sub utriusq; Vicarii  
nomine & communi sigillo expediri cœperunt processus, quod  
Caroli V. ævo secus erat. (De causis litium in Camera Spi-  
rensi ad & audi Venturam de Valentis in *Parthen. Litigios. Lib. I. c. XVI.*) Illud extra controversiam est, iisdem de causis  
cognoscere posse Vicarios, de quibus Imp. cognoscit, nisi spe-  
ciatim nonnullæ exceptæ fuerint majoris momenti. Planè  
Feudorum Regalium (Fahren Lehen) cognitionem tribuen-  
dam aliquis existimaverit Vicariis, cum in *A. B. tit. V.* investi-  
tura sola & collatio hujusmodi Feudorum denegata reperia-  
tur. Ipse Buxtorfius *dissert. ad A. B. th. LXII. lit. D.* hanc sese o-  
pinionem propugnasse aliquando non diffitetur. At obstan-  
te recessu Imperii de anno MDXXI. *S. Ob auch sachen vorkielen.*  
ab ea divortium omnino fecit. Quis enim sententiam muta-  
re nolit, aliter instructus? Quamvis id nonnulli turpe esse du-  
eant, ut error postea errorem invocet, nec contentus suis fini-  
bus hinc inde serpat, & latius se fundat. Præprimis consiliis  
damnosa est præfracta illa constantia, dum à sententia semel  
proposita ne hilum aliquis deflectit, *Zevetorius Obs. Polit. ad*  
*Sueton. Cesar. cap. XIV.* Egregiè Cicero *ad Attic. Lib. XVI. Ep.*  
*VII. Nemo doctus unquam mutationem consilij inconstanti-*  
*am dixit esse.* Verum non opus habuit Buxtorf. ut à priori sē-  
tentia recederet, cui omnino inhaeremus cum *Limnao de J. P.*  
*lib. III. c. XII. n. LXX. & seqq.* & *D. Carpzov. de L. R. German. cap.*  
*XI. sect. XV. n. II. X. & seqq.* & in *Synops. Jur. Feudal. Disp. IV. quest.*  
*ad A. B. I. I.* non obstante Recessu Imperii memorato, qui cum  
non de Vicariis Imperii ordinariis, sed de alio loquatur, quē  
Buxtorfius in *synops. Jur. Feudal. Disp. IV. quest. ad A. B. I. I.* Ca-



Carolus V. Imp. constituerat, ordinariis à Lege constitutis nihil adimere potuit. Hoc certum est, quod à sententiis Vicariorum appellari nequeat, *Buxtorfius d. loc. th. LXIII*. Idem Electoribus quondam concessum fuit, ne à sententiis eorum provocaretur, sed contrariâ consuetudine aliud sensim obtinuit, modò exceperis Saxonem, & Brandenburgicum, *Trentl. Vol. II. Disp. xxxiii. th. IV. lit. C.* Electores ad Rhenum quod habebant ex Aurea Bulla beneficium perdidere, dum lex humanitate, ne injuriam quis sibi illatam conqveri posset, appellationes ad Cameram admiserunt, si fidem meretur *Bachov. in not. ad Trentl. dict. loc.* De restitutione tamen ejusdem juris dubitare hodie vix ausim. Sed ut ad Vicarios Imperii me recipiam, dubium est, an ab iis malè informati ad melius fortè informandos appellari possit? Ita dixerim, exemplo Imperatoris, à quo dormiente ad eundem vigilantem (ut *Machetas Philippo dixisse fertur, Plutarch. in apophthegm.*) rectè appellari plurimi statuunt, *Liebethal exercit. II. X. Colleg. Polit. quæst. X. Sprenger in synopsis Jur. Publ. Just. Gebhard. discurs. de Sacro Romano nation. Germ. imperio th. XVI. XVII.* Dissentit *Gailius I. obs. ult. circa fin. D. Reinking. de R. S. & E. lib. I. class. V. c. IX. n. XLVII. & seqq. Confer Rümelin. ad A. B. part. I. Dissert. II. th. XLIX. & addition. Myler.*

*Sed & in  
eos exer-  
cetur ju-  
dicium.*

XII. Ex his, quæ diximus, apparet, quomodo judicent Vicarii. Nunc quomodo ipsi judicentur paucis annectam. Distingvi solet, utrum conveniantur ut Vicarii, an ut Electores & Principes Imperii? Primo casu vel coram Ordinibus Imperii conveniuntur, vel coram novo Imp. causa ventilatur. Altero subdistingvendum erit. Aut enim causa pertinet ad judicium Austregarum (de quo egit *D. Reinkingius de R. S. & E. Lib. II. class. II. c. XVI.*) aut ad Cameram, in qua rectè aliquis adversus eos experitur, *Buxtorf. dissert. ad A. B. th. LXIV.* Scilicet diverso respectu fieri potest, ut quis sibi ipsi imperet. Quorsum enim ea? *Wir Carl / Römischer Kaiser / entbieten dir Carl / Erzhertogen von Oesterreich.* Sic etiam Princeps suâ lege obligari potest, non directè, sed per reflexionem, quâ scilicet pars est communitatis, ex æquitate naturali, quæ partes vult componi ad rationem integri, quod à Saule in regni initiis ob-



observatum notat sacra historia, *I. Sam. XIV. v. XL. Gror. II. de de J. P. & B. c. IV. n. XII.*

XIII. Sequitur JUS PRAESENTANDI ad beneficia Ecclesiastica, *A. B. tit. V.* quod Imp. primariarum precum intuitu cōpetere vix negabitur, *Gail. II. Obs. CLV. n. VII. Thom. Michaël de Jurisdic. th. xiii. Excellentiss. Dn. Praeses Propos. VI. ad Pac. Religios. th. i.* haudquaquam tamen Romani Praefulis beneficio, ut malè sentit Gailius *d. loc.* refutatus à Domin. Arumæo *Discurs. III. ad A. B. th. xxxiv.* Tempus, intra quod jus hoc à vicariis exerceri potest, quatuor mensibus à die scientiæ concludi videtur, *arg. cap. un. de jur. Patronat. in VI. Buxtorf. dissert. ad A. B. th. LXV. in exeg.* Deniq; cujusnam religionis esse debeat, quem praesentant Vicarii, ex instrumento Pacis Osnabrugens. *art. V.* discimus: *Ubi Sacra Caesarea Majestas jus primariarum precum exercuit, exerceat etiam impostorum, dummodo decedente Aug. Confess. addicto in ejus Religionis Episcopatibus Conf. August. addictus ad normam statutorum & observantia idoneus precibus fruatur. In mixtis vero ex utraq; Religione seu Episcopatibus, seu aliis locis immediatis precibus primariis praesentatus non gaudeat, nisi beneficium vacans Religionis consors possederit. Quod hinc de Imp. cautum est, ad Vicarios Imperii rectè extenditur.*

XIV. Porro eosdem Vicarios jure colligendi redditus & proventus imperii beare voluit Imp. Carolus I v. *cap. V. A. B.* quo ipso tamen consumendi licentiam complectitur minimè, *Buxtorfius Dissert. ad A. B. th. L. XVI. Rümelin. ibid. part. I. dissert. IV. th. xix.* Ita nec tutor lucrum facere audeat è tutela, *L. LII. pr. D. de admin. & peric. tutor.* (Audi tamen Christoph. Zobel. *part. 2. differ. Jur. Civ. & Saxon. differ. XI.*) nec procurator ex sua administratione ditescit, *L. XLVI. §. IV. D. de procurat.* Cæterum quin impensas in gratiam imperii factas deducere possint Vicarii penitus nihil abest. Officium enim nulli debet esse damnosum. Hodie [verba sunt Schneidevini *Comm. ad Inst. de heredit. qua ab intest. defer. tit. de success. fisci n. V.*] ordinarii redditus ex Imperio tanti vix sunt, quanti disponendis & alendis postis est. Unde novis vectigalibus, exactionibus, & superindictis onerantur Status, ac subditi Imperii. Adde Casp. Glocken de Contribution. in Imperio usitatis.

Habent jg  
praesentā-  
di ad be-  
neficia Ec-  
clesiastica.

Reditus, &  
proventus  
Imperii  
colligunt.

XV.



Investiunt  
de feudis,  
& jura-  
menta fi-  
delitatis  
recipiunt.

XV. Tandem etiam potestate investiendi de feudis, & recipiendi juramenta fidelitatis, sub novo Imp. renovanda, celebres existunt Vicarii, *A.B.tit.V.* Aliud nempe est renovare investituram, aliud fidelitatem jurare, *D. Frantzck. Lib. I. resolut. XIX.r.XXIX. & seqq.* At privilegium hoc incassum datum videbitur, quoniam Imperium ex dictamine Aureæ Bullæ per annum vacare non contingit, ut nemo interim investituram implorare urgeatur, nisi simul annum & diem investituræ petendæ dictum *II. Feud. LV. §. Præterea.* sustuleris, quod violentum fuerit. Unde textum Aureæ Bullæ de duobus casibus exaudit Buxtorfius *ad A.B.th. LXVII. in exeg. vel quando Vasallus ante Imp. aliquot fortè mensibus vitâ functus est, ita ut annus durâte interregno lapsurus esset, vel quando Imperium per annum vacare contingeret.* Præter illam investiendi licentiam juramentum fidelitatis, cujus modò memini, vice & nomine Imperii recipiunt, quod Vasallus Domino præstare tenetur. Discrepat ab hoc juramentum clientelare, tum & subjectionis, *D. Hahn. Obs. ad D. de jurej. num. V. Braudlacht. lib. II. Epit. Juriss. Publ. cap. XI.* Quid autem si duos de Vicariatu contendere eveniat? Neutri juramentum fidelitatis præstare compellitur Vasallus. Protestari tamen consultum fuerit, vincenti debitum honorè delatum iri, *Buxtorf. d. loc.* Occasione juramenti memorati id subjiciam, quod aliàs controversum est, nū ad essentiam juramenti verba requirantur? Dupliciter juramentum considerari notum est, in ordine ad Deum & in foro conscientiæ, tum & in ordine ad homines, in foro nimirum politico. Pro diversitate fori diversa quoque stat sententia. Interim ut ego verborum compendium faciam, Lectori commendo *D. Frantzck. Lib. II. resolut. I.* & ad susceptum laborem redeo.

Excipiuntur feuda Principū, & illa, quæ Fahtlehē appellantur.

XVI. Neenim promiscuè jus illud investiendi concessum, quis existimaret, Carolus IV. Feuda Principum excipere amavit, ut & ea, quæ Fahtlehen vulgo nuncupantur, darumb das Borzeiten Känsf. Maj. denen Weltlichen Fürsten solche Lehen mit Fahnen / denen Geistlichen aber mit einem Scepter geliehen / *Myler. in addit. ad dissert. IV. Rümelin. in A. B. part. I. th. XIX.* At horum cum nulla fiat mentio in textu Aureæ Bullæ, dubia

vol-



volvitur sententia, an hæc inspectioni Vicariorum Imperii com-  
 mendata sint quoad investituram petendam? Nego cum Rümeli-  
 no *Disert. IV. ad A. B. part. I. th. XIX.* ut & D. Carpzovio *Disput. IV. Feudal. semidec. question. Jur. Publ. II.* quamvis nec affirmantes ratio-  
 num ponderibus omnino destitui comperiar, ut videre est apud  
 Buxtorf. *Disert. ad A. B. th. LXIX.* Idem de Feudis Comitum ac  
 Baronum asserendum mihi erit, nimirum quod de hisce investiendi  
 facultas eodem jure adempta sit Vicariis, *Rümelin. dict. loc. Bux-  
 torf. d. loc. th. LXIX.* cum *Sahnlehen* appellentur. Quid si interregnum  
 ultra annum durare contingat? Nec hoc casu dimoveor à textu  
 Aureæ Bullæ, cum non privatio, sed contemptus moram arguat,  
 D. Carpzov. *Disput. IV. Feud. semidec. question. Jur. Publ. I. II.* Hoc indaga-  
 re lubet, an solennitas investiendi modò recitata in desuetudinem  
 abierit? Ita Knichen. *de Sax. non provoc. jure* autumat, & cum eo a-  
 lli, quamvis illam in dubium vocet Buxtorf. *d. loc.* cui oppono D.  
 Carpzovium: *Remissis [inquit ille] vexillorum ac sceptri solennibus  
 in horum locum successit hodie gladius, qui Principi, vel absentis Legato  
 post præstitum fidelitatis juramentum à Cesare porrigi solet, cujus capu-  
 lum is apprehendens eum deosculatur, Disput. II. Feud. semidec. question.  
 Jur. Publ. V.* Confer D. Georg. Adam. Struvium *Exercit. Feud. III. th.  
 VII. in exeg. circa fin.* Quantumvis autem investituram illam de Feu-  
 dis Principum inter reservata Imp. & Regis Rom. numerari, imo  
 præferri libens patiar, ne utiqvam tamen petentibus legitimo tē-  
 pore & modo Principibus ea denegari, imo nec abjecto pacto quo-  
 vis modo alterari aut onerari potest, *Ihre Kaysert. May. sollen und  
 wollen des Heil. Reichs Churfürsten / Fürsten / und Ständen ihren Le-  
 henbrieff nach dem vorigen tenor unweigerlich wiederfahren lassen. In-  
 super nec apertum Imperio feudum alteri conferre pollet Imp. sed  
 domanio restaurando adjicere tenetur, Hippol. à Lap. de ration. Stat.  
 part. I. cap. XVI.* ut resarciatur damnum oppignorationis vectigaliū  
 à Carolo I. V. susceptæ, *Henric. Kloock discept. de jur. vectigal. th. V.*

XVII. Præter denegatam investituram omne genus alienati-  
 onis & obligationis rerum Imperialium interdicitur Vicariis à Ca-  
 rolo I. V. quem tamen ipsum Vitricum Imperii Maximilianus I. ap-  
 pellare solitus est, ob crebras alienationes, Imperatore indignas,  
*Kloock d. loc. lit. B.* Cæterū an alienantibus feuda Imperii consensum  
 suum licitè impertiantur Vicarii disquiritur? Ita sentit Rümelin.

Vicarii  
 res impe-  
 riales ali-  
 enare &  
 obligare  
 prohiben-  
 tur.

C

th.



*th. XX.* modò talis sit alienatio, cui ipse Imp. facile subscripsisset. Conferri tamen velim Buxtorf. *th. LXX.* Hoc sciendum est, alienationem in textu Aureæ Bullæ propriè accipi, ut omnem actum, quo jus in re transfertur, notet. Aliàs enim strictè actum explicat, quo transit dominium, *L. LXVII. D. de V. S. L. LXVII. D. de contrah. empt.* Nonnunquam strictissimè emptionem venditionem respicit, *L. III. Et tot. tit. C. de prædiis Decurion. sin. decreto non alienand. Dn. Hahn. Obs. ad D. de fundo dotal. num. V.* Verum anne ad pias causas donare poterit, qui alienare prohibitus est? Nego. Etenim sic facili operâ fraus Legi, aut homini alienationem prohibenti fieret, *Hahn. Obs. ad D. de contrah. empt. num. VII.* quod ferendum nõ est.

*Vicariorũ  
potestas ad  
non cõces-  
sa etiam se  
extendit.*

XIIX. Huc usq; de juribus & potestate Vicariorum Imperii partim à Carolo IV. concessã, partim denegatã studiosè mihi discernendum fuit. Quid de aliis nec permissis, nec prohibitis juribus statuendum sit impense disputatur? Ego quidem Vicariorum potestatem ad non concessã etiam extendi dixerim. Cum enim quædam jura illibata voluerit Imperator, cæterorum incuriosus fuit, ut ea permissa esse non ineptè suspiceris. Pluribus rationibus utrinq; Lectorem instruet Buxtorf. *dissert. ad A. B. th. LXXI.* Sequitur hinc Vicariorum potestatem ad reservata Imp. haud vetita porrigi, *Buxtorf. dict. loc. th. LXXII.* Nec in iis tantum, quæ justitiæ titulo fulgent, Vicariorum potestatem experimur, sed & in aliis, quæ meræ sunt gratiæ, modò ne sapiant alienationem quandam, aut in damnum Imperii redundant. Hinc natalibus restituere possunt, non tantum seqvioris conditionis homines, sed & ipsos Principum, Comitum, ac Baronum filios, *Dan. Otto de jur. Publ. th. XVI.* Possunt etiam inducias debitoribus largiri, citra culpam suam ære alieno oppressis, *Buxtorf. dict. loc. th. LXXIII. Rümel. dissert. IV. ad A. B. part. I. th. xxxii.* Sed an pendente dilacione interesse currat distinctione expedit Perez. *prælect. in Cod. de precib. Imp. offerend. num. VII.* Idem dilacionis concessæ tempus à die demum insinuationis explicari animadvertit, non à die rescripti. Deniq; licitè velificantur gratiã suã Vicarii delinquentibus. Quidni enim hoc possint? Hodie sanè restitutio illa gratiæ (quæ ex jure aggratiandi dependet, ut vulgo vocant, *Hahn. Obs. ad D. de sentent. pass. Et restit. num. III.*) non modò Imp. sed & Statibus Imperii tribuitur, *Maximilian. Faust ab Aschafsenburg in consil. suis pro erario class. I. conf. XLVI. ord. cxxxv.* utut *L. X.*



X.C. dict. tit. de summo Principe loquatur. Alienus quippe hodie status est Reip. nostræ ab eo, qui erat tempore compositarum Legum Justinianearum, ut pueriliter ludant ex mente D. Carpzovii de L. Reg. Germ. cap. II. sect. I. qui hodiernum Imperatorem, ejusque potestatem ex legibus Civilibus metiuntur. Neque tamen absque ratione & modo clementiæ famam affectabit Princeps. Hoc enim nihil aliud erit, quam abuti clementiâ, Machiavell. in Principe suo cap. xvii. ac derogare velle justitiæ, à qua quicquid sanctis legibus decernitur, ab immoderata clementia pessum dari deploramus, Wilhelm. Ferdinand. ab Efferen in manual. Polit. de ration. Stat. lib. III. punct. xii. Gvicciardinus: Intempestiva adeoque noxia est misericordia iis in casibus, in quibus ad aliorum terrorem justitiæ desideratur exemplum. Adde justit. vulnerat Stephani Nathen, Christianè, Juridicè, & Politicè curatam part. I. tit. III. cap. IX. Mariana Lib. II. de Rege & Regis instit. cap. XII: Salutaris animadversio vincit saepe speciem clementiæ. Excipienda ergo crimina, quæ lege divinâ severè prohibentur, pœnamque comitem habent. De Carolo M. memorat D. Casp. Finck. centur. III. Can. Theol. LXIX. quod gladium suum militare siglis hisce celebrem reddiderit: D. P. C. C. A. D. C. Decem præceptorum custos Carolus à Deo constitutus. Hæc cura, hæc custodia omni Magistratui Christiano commendata est, D. Franzk. II. resol. VII. n. xxv. Bodinus: Omnium peccatorum, quæ à Principibus condonantur, nulla laudabilior venia, quam cum injurias sibi illatas ignoscunt, (Spectat huc titulus C. si quis Imp. maledix.) & pœnarum capitalium nulla acceptior & gratior est, quam quæ acerbissimè de contumeliâ immortalis Deo illata exigitur, i. de Rep. cap. ult. Cæterum bona tertio quæsita non recuperant hoc modo restituti, Hahn. d. loc. Princeps enim jus alteri quæsitum temere non adimit, nisi in pœnam, aut ex vi supereminentis domini. Sed ut id fiat ex vi supereminentis domini primum requiritur utilitas publica, deinde ut, si fieri potest, compensatio fiat ei, qui suum amisit, ex communi, sunt verba Grotii II. de J. P. & B. c. XIV. n. VII. Add. Gail. II. obs. LVI. LVII.

XIX. Spero nihil à me hæcenus prætermissum, quod ad hujus argumenti satis difficilis cognitionem magnopere faciat. Antequam autem finem operi imponam, & ultimum attingam caput, quando nempe Vicariorum Imperii exspiret potestas, inquirere animus est, an Vicarii, quætales, Majestatem habeant? Negat D.

Vicarii  
Imperii  
non habent  
Majestatem.

Carpzov.




3095  
Carpzov. part. i. practica crimin. quest. xli. n. xxvii. Majestas enim est summa, ac perpetua, legibusq; soluta potestas D. Carpzov. diet. loc. n. xxiii. Bodinus i. de Rep. cap. ix: Quid Majestati tam contrarium, quam se Legatum aut Praesidem ( Id enim appellatione Vicarii significatur ) profiteri, à quo jura Majestatis habere te putes in ea ipsa provincia cui praesidis. Dixi, Vicarios, quia tales, Majestate destitui. Si enim spectentur ut Electores, majestatis reus est, qui aliquid adversus eos machinatur per cap. XXV. Aureae Bullae.

Vicariorū  
potestas  
reverso,  
aut electo  
novo Imp.  
expirat.

XX. Superest, ut de tempore, quo insignis Vicariorum potestas vires suas remittit, paucis agam. Finitur illa, si propter absentiam Imp. delata fuerit, eo redeunte. Ob vacationem autem commissa gubernacula electio enervat, modò ne recuset electus imperii curam suscipere, aut extra fines agat Buxtorf. dissert. ad A. B. th. LXXV. in exeg. Suscipiens, & praesens Vicariorum acta confirmare tenetur. Confirmationis formulam pete à Sprengero synops. Jur. Publ. c. XI. circa fin. Sanè quoties Rex Rom. vivo Imperatore jam designatus est, toties illi regimen committitur exclusis Vicariis. Ita ante paucos annos mortuo Imp. Ferdinando II. virtutum suarum praesidio onus Imperii suscepit Ferdinandus III. vivo illo Rex Rom. electus, Adolph. Brachel. lib. V. histor. nost. tempor. Imo non ita pridem Regem quidem electum fuisse novimus Ferdinandum IV. imperante invictissimo Principe Ferdinando III. gloriosissimae memoriae, sed turbato ordine mortalitatis Filius praecessit Patrem, Juvenis Virum, Caesar Augustum, Meritò itaq; tempus hoc interregni Vicario utriq; commendari debuit, quod ut felix sit ac pacatum ex animo precamur omnes, quotquot Patriae & communis, & propriae amore tenemur infucato, Electionem quoq; novi Imperatoris quamprimum instituendam voto nostro prosequimur, ut justus sit, ut pacificus, uno verbo PIUS, cui summa Reip. committetur hoc turbulento statu, quo omnia fere bellis perstrepunt. Mea faciam Fabii Max. verba apud Livium de eligendo Imp. deliberantis: Quilibet nautarum vectorumq; tranquillo mari gubernare potest. Ubi se va orta tempestas est, ac turbato mari rapitur vento navis, tum Viro & gubernatore opus est. Non tranquille navigamus, sed jam aliquot procellis submersi pene sumus. Itaq; quis ad gubernacula se deat summam curam providendum ac praecavendum est.

SUMMA PATRIAE LAUS EST SOLA VIRTUS ET IMPERANTIUM, ET PARENTIUM!





tem non ex  
 niæ. Verfa  
 lium Caro  
 Anglus, v  
 Zieglero in  
 tionibus s  
 nolebant p  
 ipsi essent.  
 tales, hauc  
 regna, qua  
 terrentur,  
 grave aliq  
 promptis C  
 Illud nimir  
 fronte se ost  
 ipso tractatu

*Inconsul-*  
*tum illum*  
*affectum,*  
*reprimis e*  
*lectio, &*  
*successio.*

II. Cum

cipatum app  
 Gentium rep  
 Ultra auter  
 quidem an  
 liquo meli  
 tuita sit &  
 possem plu  
 tim in fav  
 Cyriaci Le  
 histor. que  
 cessione b  
 tuta electio

*In Germa-*  
*nia electio*  
*prevaluit,*  
*quam & li-*  
*bertas e-*  
*iusdem, &*  
*Vicariorū*  
*autoritas*  
*tutā pra-*  
*stant.*

III. Co  
 re, nec cæc  
 scendum,  
 fuere studi  
 discrimine  
 rum prava  
 cariorum



agna Britan  
 pro eo ad Fi  
 h. Miltonus,  
 ff. D. Casp.  
 fit exercita  
 icet regnum  
 abantur, nisi  
 carent mor  
 plura essent  
 neutiquam  
 post se, quam  
 ciardino de  
 litico part. I.  
 prima statim  
 nec facile nisi

t. IV.) Prin  
 os mos sive lex  
 CESSIONIS.  
 electionem  
 & aspectu a  
 o, quod for  
 cere quidem  
 ctionis, par  
 ex Augusto  
 ugnat Lib. I.  
 , quam suc  
 probè insti  
 ndum teme  
 sione desc  
 nis electionis  
 At summo  
 spes multo  
 s, tum & Vi  
 è medentur.  
 IV. Ele

